



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 3. Communiter non unius momenti opus est, aut levis laboris conversio peccatoris, praecipuè inveterati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

credit in aliis : tum deindè in se reversus
 tortitudinem suam quâ ab illa distat , vi-
 det & improbat. Hæc divini seminis cæ-
 litùs cordi ejus immissi prima pullulatio
 est , quæ magis proficit , cùm accedenti-
 bus timoris, pudoris, ac remordentis con-
 scientiæ stimulis , peccator cupiditatibus
 suis jam tentat velle resistere : sed in
 principio tentat tantùm , parvum enim
 tum plerumque atque invalidum est vel-
 le , cui adhuc vetusta prævalet cupiditas,
 cui tamen magis ac magis repugnando
 tantum decedit , quantum paulatim pro-
 ficiendo bonæ voluntati accedit : ac tan-
 dem istis incrementis tantâ hæc fit , ut
 ruptis peccati vinculis, præ omnibus Deo
 mentem faciat inhærere ; hoc est debite
 converti.

§. III.

*Communiter non unius momenti opus est, aut
 levis laboris conversio peccatoris, præcipue
 inveterati.*

AD hunc autem gradum quamvis alii
 tardius, alii citius ascendant, com-
 muniter tamen non unius momenti opus
 est aut levis laboris eundem comprehen-
 dere. Quantum satis est, id hæcenus mon-
 stravi,

stravi; sed quamvis hæc omnia deficerent, sufficerent ipsa quotidiana experimenta. Quisquis enim aut aliquando talis fuit, sed jam Dei gratiâ correctus; aut ejusmodi convertendis intendit; suo vel alieno experimento verissimum agnoscit

L. 2. spirit. resurr. ani- ma. illud B. Laurentii Justiniani: O quantis clamoribus introrsus, inquit, quantisque exhortationibus sacris excitatur peccator, antequam de morte seu somno delictorum evigilet! Sed & vigili effectus, ô quot blanditiis, quot rationibus, quot promissionibus, quot exemplis, quot pulsatur terroribus, ac flagellis, priusquam peccandi voluntatem abjiciat, & sincero animo atque deliberatione constanti totus divino mancipetur obsequio! Nec immeritò: tot quippe funibus tenetur astrictus, quot sceleribus prægravabatur, tantisque spiritualibus compeditus est vinculis, quantis caducis rebus immoderato inhaeret affectu. Captivatur itaque consuetudine delinquendi: retrahitur à sensualitate, quæ penitentiæ jugo colla subicere recusat: repellitur suasionibus demonum: visibilibus detinetur amore: amicorum & affinium dissuadetur blanditiis.

